



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Votum concipit ingrediendi Societatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

obsequium abs se reddi præcipuè placuisset. Alterum, cum in peculio haberet viginti quinque florenos, tres in partes eos diuisit: vnâ pauperibus erogauit; alteram Louanium misit, vt in Æde S. Petri ad aram Marianam certa Sacra fierent; tertiam in Asperum-collem, ad exorandam, Sacris totidem, beatissimæ Virginis opem, transportari curauit. Illud denique tertium, hanc nouam suam instinctiōem vocationemque conscientiæ suæ Modèratori indicauit, implorans opem orationum eius ac directionem; adeoque se illi totum permisit, vt promitteret, ab eius consilio ne tantillum abiturum.

Breuî manifestum exploratumque bono Iuueni fuit, quòd à Deo in Societatem vocaretur: neque exiguo illi incitamento fuere vtilitates, quas Societas ipsi Belgio longè maximas adfert, laboresque quos in reducendis ad Ecclesiæ Romanæ castra fidemque hæreticis suscipit; maiora denique, quæ in vicino Angliæ Regno à Patribus, cum sanguinis etiam ac vitæ profusione, carcerum durissimorum squalore, tormentorumque acerbâ perpeffione, tolerari ac patrari audiebat. Concepto igitur proposito, Deoque factâ sui in Societate consecrandi oblatione, meriti maioris ergò ac firmitatis, hoc propositum suum voto sanxit. Narrat, qui animo eius dirigendo præ-

*Quibus incitamenti ad Societatem inuitatus.*

*Vorum concipit ingrediendi Societatem.*



do præerat, Ioannem, quoties secum de hoc suo decreto tractaret, solitum promittere, conaturum se euadere in eximiè sanctum; quòd diceret nempe, fieri non posse, quin tantis, quanta sunt in Societate, præsijs ad summam absolutamque sanctitatem pertingatur; se verò, quoties ab eius colloquio discederet, abijisse persuasum, aliquando Ioannem, sic vt dicebat, sanctum reuera fore, quòd tanta, cum id pollicebatur, fidentia constantiaque esset promittentis. Et quoniam verebatur vocationis beneficium amittere, si vel tantillum feruor ille relanguisset, quem tum illi Deus iniecerat, illum suum conscientia moderatorem, solito sæpius frequentabat, omnem noxiam consuetudinem subterfugiebat, numquam stas preces, solitave pietatis officia intermittebat; atque vt beatissima Virgini vocationis hoc beneficium referebat acceptum, eandem, id sibi vt perpetuaret, impetraretque eius persequendi gratiam, obnixè precabatur.

*Ratio conseruanda vocationis.*

*Parentibus propositum suum indicat.*

Cum ad decimum ferè & septimum ætatis annum attigisset, seu vt quamprimùm Deo sese consecraret, seu ne parentes frustra quidquam de se statuerent, decreuit suam illis voluntatem indicare litteris, simulque significare, factò abs se voto id propositum esse sancitum. Hac autem formulâ eas litteras signa-